

QK 4237.

In
9153

D. B. I

AUSPICIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISS. PRINCIPIS REGI

FRIDERICI AVGUSTI
HISTORIAM

MICHAELIS
SERVETI

PRAESIDE

M. PETRO ADOLPHO
BOYSEN

ASHAR. SAXONE

KL. OCTOBRIS A. R. G. MDCCLXII

PUBLICE ENARRABIT

IOANNES ADOLPHVS BVHLAV
SERVESTA ANHALTINVS

VITEMBERGAE SAXONVM
PRELO IOANNIS LVDOLPHI FINCELL.





LIBRARY OF THE UNIVERSITY
HANNOVER

1872

M. H. H. H.

JOACHIMSTHAL

LIBRARY OF THE UNIVERSITY

HISTORIA MICHAELIS SERVETI HISPANI.

ſ. I.

Beuior non modo, sed tutior quoque, securiorque, quae per egregia uirtutum exempla ad prudentiam ducit, habita semper est uia. quando enim ad laudis, gloriaeque curam stimulatur animus, in uitas praestantium uirorum, tanquam in speculum inspicit, ut ait Ille, ex iisdemque ad uirtutes concitatur, ac efficiacius commouetur, discitque mature, mores omni humilitate perpolire, atque omnia tum facta, tum consilia ad illustrium uirorum memoriam exigere, iuxta ac explorare. Quamuis uero ex talibus uitae exemplum sumere liceat, merito tamen quibusdam suborta est dubitatio, numne circa periculi suspicionem illorum uitae enarrandae sint? qui uel depravatae mentis erroribus correpti, uel uitae foribus inquinati, male audiunt, ac non nisi impietates, et morum corruptelas lectorum animis instillare uidentur. At cum illae uitarum compositiones ceu erubescenda tantum

A

impi-

HISTORIA

impietatis specimina , et declinandorum scelerum exempla proponantur, hinc quoque nobis, non quod imitari, sed quod uitare deceat, capere, damnisque aliorum excitatis melius tum doctrinae, tum uitiae institutum sequi licebit. Vere alicubi Plinius , parum abesse a docente , qui narrat , hoc tamen non obstat , quo minus expediatur , in literas eiusmodi referri, erudite euincunt Luc. Holstenius de Vita Porphyrii C. I. et praestantissimus Artis Historicae enarrator Ger. Io. Vossius C. XII. p. LXXXVIII. Exquisitam uero utilitatem ad Orbem Christianum ex eorum labore redundare , qui ueritatis tum hostes , tum calumniatores prodiderunt , dum confecerunt eruditii , nec praeter multos alias dissimulat Alex. Rossaeus in Praef. ad Var. Relig. mundi , cui iungendum fuaserim doctrinum Muratorium T. II. Anecd. Graec. Proinde multis commendandi nominibus sunt , qui uel Juliani , παρασάτης , et historiam , et Opera in uulgu emendate exire iussierunt , ut fecerunt Dion. Petavius , Spanheimius , et , qui nuper prioribus quaedam adiicit , Cl. Muratorius , uel , maligni disciplinae diuinioris hostis Porphyrii exposuerunt uitam , in qua explicanda egregie uersatus est Luc. Holstenius , uel Ben. Spinozae , inepti ac absurdii hominis fata tradiderunt , quo labore praeter b. Kortholtum , Baelium , Eiusdemque Interpretem Belgam , Io. Colerus defunctus est , uel Atheorum , quos uocamus , uitas explicatas dederunt , quas eleganti stilo , nec sine exquisito eleganteris doctrinae apparatu complexus est Mat. Zeif. La Crozzius , ut alias taceamus , qui idem praestiterunt .

§. II.

Leuis quoque , prauique animi doctor est , et depravatae prorsus ac repudiandae disciplinae Auctor , quam partim in ueteribus Haereticis rejectam incrustauit , partim recenter effinxit , quem Beneuolo Lectori iam sistimus . Est is

M-

MICHAEL SERVETVS, Hispanus, cuius uitam Petrum Hyperphrogenum, Gandauum, composuisse, memorat Christoph. Sandius in Biblioth. Vnitar. p. VII, qui eam manuscriptam usurpauit, sed cum ea lucem nunquam aspexerit, nemoque praeterea, quod sciam, recte et data opera SERVETI historiam exhauserit, placuit, ea, quae sparsim de uita, studiis, morte, scriptis doctrinaque SERVETI apud uarios Auctores, causae SERVETIANÆ tum iudices, tum testes, adeoque fide non indignos, obseruaui in unum colligere, frequentes Clarissimorum Virorum lapsus emendare, eaque accuratius exponere, in quibus nouissimos minus recte sensisse animaduerto, idque nec uitio *αἰθοληῆς*, nec partium studio, sed simpliciter faciam, et ut res postulabit.

§. III.

SERVETVS, gente Hispanus, Tarrasonae, Arragoniae Urbe non incelesti, natus, lucem aspexisse uidetur exeunte Sec. XV, quibus parentibus? non liquet, cum in communi, coniuratoque scriptorum silentio certi quid definire, temeritatis non exiguae esset documentum. At Hispanum quidem eum esse, nemo dubitauit, ac, ut multos taceam, fidem facit Theod. Beza in Ep. LIX. Theol., quando, *Cui*, inquit, *genti quam Hispanae debemus duo illa tetricima monstra, nostro primum Seculo nata?* Ignatum dico, et SERVETVM. Non incommodate SERVETO iungit Loyolam Beza, cum ipse Sam. Przepcouius, Eques Polonus, Faustum Socinum cum Ignatio in uita eius, quam stylo coniognatam anno 1536 edidit, quae etiam Bibliothecae, ut vocatur, Fratrum Polonorum inserta, et Belgice aliquoties excusa, passim reprehenditur, contendat, quo nomine ludibrium etiam, nec id immerito, debuit Io. Hornbeekio in Sum. Controu. L. VII. p. DLXVII. Patriam uero Tarrasonam esse, non dubitate sinit inscriptio, quam epistolis, aequa, ac libris praefixa

A 2

gere

HISTORIA

gere , confueuerat SERVETVS. at de anno Natali res ob-
scurior est , nec indagari potuit , quam tamen attulimus con-
iecturam , forsan ex uerbis Fau. Socini robur acquiret , qui
in Libro contra Iac. VVuiiekum et Bellarminum \approx 1593.
edito , C. II. ita : *Certissimum est , SERVETVM , cum supplicio
affectus est , senem fuisse , et Caluino multo grandiore natu.*
Michaelis nomen , Hispanis admodum familiare , Ipsi in Sa-
cro Fonte inditum est , quod etiam nunquam deposuit ,
sed retinuit semper , quamuis alterum SERVETI nomen ,
ut , hac ratione tectus , uirus tutius spargeret , saepius immu-
tarit , aliudque adsciuerit , ut nunc sub *Renesfi* , nunc de *Renesfi* ,
nunc etiam *Renesfi* , frequentissime uero *Michaels Villanouani*
persona latuerit , libros praeterea suos his nominibus luci ex-
posuerit publicae . Male proinde rebus suis consulunt , qui
uel Ios. Simleri , uel Geor. Matth. Koenigii exenxplis dece-
pti , Villanouanum a SERVETO diuersum non sine aliqua
erroris significatione asserunt , quorum lapsus emendant
Cloppenburgius in Praef. de Origine Socinianismi , et Plac-
cius in Theatro Pseudon. p. DCVIII. Quamuis , ut hic denuo
omnis errori occasio praecidatur , ab Arnoldo Villanouano ,
Medico , et in Gallia Narbonensi prognato , nec incelebri
Sec. XIV. scriptore , ac ad Clementem V. Pontificem legato , cu-
ius memoriam Flacius in Catalogo , Io. Mariana L. XIV , c. IX.
Rer. Hisp. Paullus Colomesius in Gall. Or. p. II. ed. Hamb. re-
fricarunt , noster sollicite sit distinguendus , neque cum aliis Vil-
lanouanis confundendus in quo negotio parum cautos se
nonnullos gesisse , animaduerto . uid. Frid. Spanhemium T.
III. Op. Th. P. II. p. DCCXCVIII. Cur uero , et quando huic nomi-
num immutationi indulserit Seruetus , uid. apud Sandium in
Bibl. Vnit. p. VI. cum quotamen comparandi sunt Th. Beza
in uita Caluini ad A. \approx DLIII. quae tum Epistolis , tum T. I.
Op. Theol. Caluini præfixa est , praeterea etiam T. III. Tract.
Theol. Th. Bezae p. CCCLXV occurrit , et Stanisl. Lubieni-
cius

cius, Eques Polonus, in Reformat. Polon. Historia L. II, c. V.

§. IV.

Foecunda admodum Hispania ingenii ferendis, literarum percupidis, earumque desiderio flagrantibus, sed ad nouitates simul procliviibus. Vtrumque exemplo suo comprobauit SERVETVS, qui in patria litteris excultus, uariisque perpolitus artibus, et, prout ista ferebant tempora, disciplinis etiam innutritus, cum paullo adulter fieret, arti salutari operam non perfunctoriam nauauit. Praeceptoribus in plerisque utebatur uiris Arabibus, qui celebriori loquendi usu Mauri uocantur, peruersa Muhammetis religione imbutis. Horum etiam uel consilio, uel auctoritate in Africam transfretare, ibidemque aliquamdiu consistere, Coranum non tam diligenter, et exquisito studio legere, quam in succum conuertere, et, ne quid criminis deesset, ex illa errorum pandora, ac malae mentis sede disciplinam diuiniorem uel corrigere, uel emendare. Ex Gallia in Africam tracieisse, dicitur Spondano T. II. Annal. p. CCCCIX. in quo quidem plerique alii eum secuti sunt, Micraelius L. III. H. E. Sect. II. Schlussburgius Catal. Haeret. L. XI. p. I. Osian der Cent. XVI. c. XXI. L. II. at Hispaniam dicere debebant, nondum enim ea tempestate uiderat Galliam SERVETVS, qui in Hispaniae finibus adhuc delitescens, eam peregrinationem circa annum Sec. XVI. XVIII. suscepisse uidetur, sed Galliam ante A. XXI. non adiit, ut taceam, recte iudicasse Lubienicum l. c. *leuem esse ex Hispania in Africam traiectum*. Et forte fuit Seruetus ex eo hominum genere, qui adhuc in Hispania frequentes sunt, quorum maiores Alco anum eiurare coacti, Christianis sacris falso nominata sua dederunt. Hi enim homines inter Christianos Hispanos Latinis litteris imbuuntur, ad dignitates etiam Ecclesiasticas promouentur nonnunquam, cum tamen ueteris

HISTORIA

Mahumedismi uestigia haereant, nec facile inter Semi-
Christianos Hispaniae cultores oblitterentur. Horum ex
numero fuit etiam *Abmet Ben Abdala*, cuius Epistolam Apo-
logeticam ante aliquot annos Zachar. Grapius publici fe-
cit iuris. Vt adeo ineptiat hic, ut semper solet, Maimburgius,
in Hist. Arrianismi T. III. L. XI. p. CCCXXXVIII. quando
SERVETVM Lutheranorum sacris initiatum, totam Fran-
ciam, Germaniamque percurrisse, fingit, ac tandem in A-
fricam abiisse. Nec minus turpiter hallucinatur Nic. San-
derus L. VII. de Visib. Monarchia Eccles. p. DCXI. qui SER-
VETVM initio Zuinglii doctrinam secutum fuisse, et in
Farelli, ac Caluini collegam euasisse, demum uero in Afri-
cam traiecssisse, oscitanter admodum, et falso pronunciat.
Facto itaque ex Hispania in Africam itinere, SERVETVS
in celeberrima Fesana Academia confedit, ibidemque Co-
ranum euoluit, ac, ut Spanhemius l.c. loquitur, uerporum bla-
phemii est innutritus. Commendat hoc Viri studium Lubi-
niecius L. II.c. V. p. XCVI. Ref. Pol. quod *apis instar cuncta sibi*
profutura collegitur, et ex ipsis Alcorani, *in dogmata quidem de*
DEO Trinuno, et I. Christo, summo DEO, ex essentia Patris ab ae-
terno generato, grauiter inuehentis, honorem tamen non uulga-
rem Christo, ut DEI uerbo, et Legato, uiroque diuina uirtute praec-
dito tribuentis, tribulis mellis materiam exsuxerit. Dignum fa-
ne homine, infrunitis Socinianorum deliriis fascinato, iudi-
cium, suoque propterea Auctori relinquendum. Rectius
enim alii, et rei ipsius ueritati conuenientius iudicarunt,
collectum ibi uirus, uenenumque ex Corano haustrum,
quo deinceps orbem Christianum adeo infecit, ut in doctri-
nae capita non tam offendere, quam ea eneruare, et desti-
nato consilio deprauare, nec adeo mel tribulis exfugere, sed
pestilentes lectissimis floribus carduos admiscere uideret ur.
Exquisita, fateor, utilitate se commendat studium, lingua:im
Arabicam et pernoscendi, et Coranum tum conuertendi.

tum explicandi, saltem ut impietatum eo melius conuinci possint Saraceni, et coelesti, eaque uera disciplina imbui. At proposito animi hic aestimandus est SERVETVS, cumque alium sibi praefixerit finem, suo exemplo commonstrauit, in errores foedissimos, sententiasque pugnantes inuicem incidere, qui, neglectis diuini Codicis fontibus, impuros quos cunque alias, insuper habita Diuini Numinis gratia, riuulos consecrantur. Praeclarus multo de aliis, aequae ac se ipso promeritus est Nic. Clenardus, Diestemo, Brabantiae urbe, oriundus, qui prouectiori aetate, relictis tum Louaniensi, tum Salamanticana uniuersalibus studiis, in quibus Graecas docebat literas, Franc. Victoriae, Theologi, Dominicanorum familiae adscripti, monitis excitatus, Arabes adiit, et diligentem operam in libris Arabum posuit, cuius rationes et finem ipse Clenardus in epist. anno 1541 ad Latomum exarata, copiose et erudite edisserit, cui tamen labori immortuus est anno insecuto XLII. multis hoc nomine elogii commendatus a Suueertio in Ath. Belg. Posseuino Bibliothec. L. IX, c. IX. Melch. Adami in Vit. Philos. Germ. p. CXXIII. et Io. Hornbeekio in Sum. Controuers. L. III, p. LXXXIX. et p. CLXXX. seqq.

§. V.

Corrupti enim animi sui statim indicia dedit SERVETVS, cum circa annum Sec. XVI. XX. in Hispaniam reuerteretur, iis consiliis instructus, quae ad euertendam hominum animis de adoranda Trinitate ueritatem erant composita, quaeque ab homine expectare poteras, nonnisi profanas literas, et Corani deliria edocto, illotisque manibus doctrinae coelestis explanationem adgrediente. Sed timidius, ac diffidentius, poenarum grauitatem extimescens, in Hispania mentis suaे sensa exponebat. Ratus uero Lutetiae sibi licere esse securiori, non ita multo post Gallias petiit, ac

HISTORIA

ac, Lutetias delatus, securius ibi uixit, medendique consilio
morbis prostratos adiuuit. Insolentius se hic gesisse SER-
VE TVM, ac magnifice, ambitionis oestro percitum, de se
ipso sensisse, obseruat Bellarminus de Script. Eccles. P. II, p.
CXXXIII. Maimburgius Histor. Arrian. Gallice scriptae
T. III. p. CCCXXXIX. nec dissimulat Lubienicus, causae
cetera Seruetianaे Patronus, quem antea excitabamus, lo-
co. Ea enim audacia errores depromebat, ut propalam con-
firmaret, se ad perpurgandas orbis Christiani corruptelas
eadem Numinis gratia esse natum, ac excitatum, qua alios,
quas aetas ista ferebat. Nihil hacrenus in literas publice re-
tulerat SERVE TVS, fallitur enim b. Quenstadius, qui in
erudito tractatu de *patriis Virorum Illustrium* pag. XXXII,
A. C. 15XX. Mich. Villanouanum, quem Seruetum esse, antea
declarabamus, floruisse, ex libris typis conscriptis colligere
uidetur. Sed literis priuatim ad alios datis, sermonibus quo-
que mutuis, quoties occasio ferebat, conceptas animo sen-
tentias palliabat, rerumque ponderibus stabilire nitebatur.
Hinc fiebat, ut anno huius Seculi XXXIII innotesceret
magis Seruetus, quaeque eius fuerit de S. Trinitate senten-
tia, cognosceretur. Constanter enim, ac diserte hunc an-
num significat Th. Beza, quando tum in Vita Calu. ad An.
LIII. tum in Ep. Theol. I. ad Duditium pag. VIII. ac Epist.
LXXIII. tandem etiam in praef. ad Acta Val. Gentilis tradit:
Seruetum totos annos triginta DEO uiuenti maledixisse, ac ob trigan-
ta annorum blasphemias execrabilis, et indomitam peruicaciam in-
stissimo fuisse affectum suppicio. Quietè postea uixit, et Lugduni
potissimum Gallorum subsistit, uti refert ex Hyperphrogeni
uita Serueti, quae manu exarata circumfertur, Sandius p. VII.
Opiniones tamen non exuit suas, sed maiori subinde animi
contentione auxit aliis, ac propagauit. Incidit in annum XXX,
nobilis illa, ac famosa disputatio, quam de uariis diuinioris
disciplinae capitibus Basileae cum Io. Oecolampadio excus-
fir.

fit. Quid rei utrinque gestum sit, edocent, simulque per-
uicaciam Serueti notant Ministri Basileenses in Epistola ad
Senatum Geneuensem, quae occurrit inter epistolas Calui-
ni, Num. CLX, p. m. CCCIII. *Menimimus*, inquiunt, *nos*,
ante annos XXIII in hac ciuitate Oecolampadio, Praestantissimo
buius Ecclesiae Praesidi, negotium ab hoc homine exhibitum, et uer-
bo, scriptisque serio interpellatum, nihil factum emendatiorem. In
eandem sententiam Ecclesiae Tigurinae Antistites, de cau-
sa Serueti in consilium adhibiti, ad Senatum Geneu. *o. ICLIII*
rescribunt, Ep. CLIX. *Nisi nos similitudo nominis fallit, mouit*
Seruetus ingens malum ante annos XX conante tum Oecolampadio
ipsum reducere in uiam. Vbi non possumus, quin miremur
fastum, pariter ac impudentiam Serueti, qui, cum in certa-
men cum Caluino descenderet, Capitoni ac Oecolampadio e-
andem maculam adspergebat, illosque ceu socios sententiae
suae allegabat. Cum uero ostenderet Caluinus epistolas
Oecolampadii, aliud continentis, mirari se aiebat, quo spi-
ritu abductus fuerit a priore sensu, uti eleganter exponit
Caluinus, ep. CLVI. ad Sultzserum scripta. Quod certe ui-
tium Serueto non infrequens fuit, qui Patres etiam in omni-
bus sibi patrocinari fingebat, eorumque testimoniis erro-
res suos palliabat, in quo quidem momento Patribus sum-
mam iniuriam a Serueto fieri, grauiter non minus, quam
luculenter ostendit Phil. Melanchthon L. IV. Epist. ad Io.
Camerarium scriptarum, ep. CXLI. p. DCCX. edit. Lond.
et L. I. Ep. Peuerianarum ep. CXI. p. m. CL. Lepidae hanc
in rem historiae meminit Caluinus in *defensione Orthodoxae*
fidei, Serueto aliquando, carceri iam mancipatum, Iusti-
num Martyrem, ceu testem sententiae suae, excitasse, sta-
tim curatum fuisse, ut afferretur Codex Iustini, ibi uero Iu-
stini neque legere, neque intelligere, Graeci sermonis
plane rudem, potuisse, ac insolentius uersionem quandam
efflagitasse, sed cum ab aliis admoneretur, nondum in Lati-

HISTORIA

nium sermonem esse transfusum Iustinum , eum apertim mendacii , ac ignorantiae fuisse conuictum . Quae certe omnia ita comparata sunt , ut causas non habuerit God. Arnoldus , P. II. Hist. Haeret. L. XVI. c. XXXIII. quibus motus in laudes Serueti excurrere uoluerit, studiumque ueritatis in homine , qui ex meris mendaciis est consutus, tantopere commendandum putarit , nisi forsan pulchrum duxit , ut placent populo , quas fecisset fabulas , ut Comicus ait . Quamuis hinc quoque pateat , doctrinam , linguarumque cognitionem in Serueto tantam non fuisse , quantam in eo agnoscit Spondanus T. II. Annal. p. ccccix. neque enim suspicari licet , eum doctrinae abusu ad turbandom Ecclesiam fuisse impulsum , cuius mali originem Ren. Rapinus in Obseruat. de Vsu Philosoph., Gallice scriptis , p. ccccxxii, commodius ex depravatae rationis abusu deriuasse , mihi uidetur.

§. VI.

Atque hac ratione cesserat Serueto negotium , quod cum Oecolampadio habuerat , cumque fructu careret colloquium , nullisque uel precibus , uel demonstrationibus fleti animus ad meliora posset , anno inscuto , quasi publice pessimam causam peroraturis , edidit de Trinitatis erroribus L. VII. 15xxx in forma ordinis octauii excusos , ueternum enim nondum excusit Maimburgius , quando l. c. p. cccxl librum illum anno xxx typis conscriptum , simul cum Augustana Confessione prodisse , delirat . Virulentum libellum hoc opus vocat Io. Caluinus Ep. cliii. ad Pastores Francofordienses data , multiisque sacrilegis erroribus refertum . Philippus quoque nostras grauiter in eundem librum pasim intuebitur , in primis pestilentissimum librum appellat Io. Fried. Mayerus , quem optimum , maximisque in Rempublicam Christianam meritis celeberrimum , rebus hisce non ita pridem exemptum , coeloque citius repetitum , merito

merito luget Ecclesia, in Praelect. Academ. de Histor. Socinian. pag. xv. Ineptus cetera liber, et imperite scriptus, nihil, quod prudentiam, doctrinamque tanto argumento dignam spiraret, reperias. Id, quod res est, exponit Sainiorius, uel, qui sub persona Eius latet, Rich. Simonius T. I. Bibl. Crit. p. xxxiii. quando ita : *Le principal ouvrage de Servet est celui, qui a pour titre, de Trinitatis erroribus, et qui est divisé en VII livres. Il y est si embarrassé, tant pour la diction, que pour les matières, qui y sont traitées, qu'on voit manifestement, qui ne les entendoit gueres, ce qui paroit dès les premiers mots.* Cui consona tradit Melanchthon Ep. cxl ad Ioach. Camerarium, scripta v. Id. Febr. xxxiii, quae occurrit L. IV. Ep. ed. Lond. p. DCCVIII. ita de Serueto, eiusque libro iudicans. *Video, satis acutum, ac uerum in disputando esse Seruetum, sed plane gravitatem ei non tribuo. Habet, ut mihi uidetur, confusas imaginationes, nec satis explicatas earum rerum, quas agitat, cogitationes.* Nec ipse Seruetus uitia libri dissimulat, fronti enim Dialogorum, quorum deinceps mentio fieri, haec uerba illeuit ipse Seruetus. *Quae nuper contra receptionem de Trinitate sententiam lib. VII scripti, nunc omnia retracto, non quia falsa sunt, sed quia imperfecta, et a paruulo paruulis scripta.* Quod autem ita barbarus, confusus, et incorrectus prior liber prodierit, imperitiae meae, et Typographi incuriae est adscribendum. etc. Locus impressionis additus non est, neque erroris immunis esse uidetur Sandius p. xii. Bibl. qui Basileae nomen in titulo occurrere, non obscure docet, nihil enim in titulo conspici, qui exemplum inspexerunt, obseruant, et, uti bene personatus Sainiorius l. antea laudato monet, le lieu de l' edition n'est point marqué. Quamuis in Germania, et si coniecturis uti liceat, forsan Basileae eum excusum esse, uero sit perquam simile, nec dubitare amplius sinant ea, quae Tigurini Ep. supra excitata ad Señatum Geneuensem rescribunt. *Ille suis sensus tenax, nibilo minus*

HISTORIA

A. XXXI in Germania curauit VII lib. de Trinitatis erroribus, et alios Dialogos excudi. Consentit Caluinus, ep. cliii, et luculenter confirmat Lubienicius p. xcvi. forsan uero Hagenoae prodiit, quem locum tum aliū, tum Da. Chytr. Sax. L. xviii. p. cccclxxii adsignant. Nec titulo, ut quidam minus recte arbitrantur, sed ipsius operis fronti praescripta legiuntur haec uerba: per Mich. Seruetum, alias de Reues, ab Arragonia Hispanum, uti Sainiorius bene obseruauit. Simul ac uero publice conspiceretur liber, quasi communī incendio restuīgendo, accurrebant Viri pii, cordatique, infelicem lasciuientis ingenii foetum suppressuri, in primis Francofordenses plurima libri exempla flammis tradiderunt, cumque Ratisponam quaedam allata fuissent, et Io. Quintadae, Caesari Carolo V a consiliis Ecclesiasticis, et confessionibus priuatis qui erat, uisa, indignabatur initio Auctori, quem a facie sibi notum esse, aiebat, et, quotquot nancisci poterat, exempla sollicite abolenda curabat, teste Cochlaeo, ex quo repetit Od. Reynaldus in Annal. Eccles. ad An. xxxii. p. DCLII. Venetiis etiam uisum, lectumque fuisse hunc Seruetti librum, colligas ex Ep. Phil. Melanchthonis, scripta anno xxxix ad Senatum Venetum, quam L. I. inferuit Casp. Peucerus Num. cx, p. cl. ed. laud. quae etiam deprehenditur T. IV. Op. Philosoph. Viteberg. p. DCCXXX. et T. II. Declamationum edit. Argent. & DLXIV p. DCXXV, ubi tamen Inscriptio hunc in modum comparet immutata: *Ad Illustres Venetos quosdam, Euangelii Studiosos.* Eadem tamen ubique habentur, ex quibus haec, ceu nobis profutura, felicimus: *Intellexi*, inquit Philippus, *istib[us] circumferri Seruetti libellum*, qui renouauit errorem Samosateni initio Ecclesiae damnatum, et labefecit sententiam de duabus naturis in Christo. Nunc igitur Vos admonendos esse, atque obtestandos duxi, ut horribiles atque Auctores sint, ut fugiant, abiificant, execrentur impium Seruetti errorem. Tantum uero haec Melanchthonis admonitione apud Venetos ualuit, ut, cum essent non-

nonnulli, quorum numerus quadragenarium excedebat¹, doctrinae Seruetianaæ sectatores, qui colloquia subinde in ditione Veneta de religione, ad Serueti disciplinam exigenda, habebant, mature diiicerentur, ita, ut pars fuga salutem quaesuerint, in quibus Lael. Socinus, Val. Gentilis, alii, quos uide ap. Andr. VIIssouatum, cuius uerba exhibit Sandius in Append. Nucl. H. E. p. LXXXVI, et ipsum Sandium in Biblioth. p. XVIII. nonnullis capitris supplicio affectis. Cum itaque undique supprimeretur liber, contigit, ut rarius reperiatur, ac instructissimae cetera Bibliothecae illo destituantur. Grotius uno exemplo usus est Roterodami, quod id ipsum forsan est, quod in Bibliotheca Io. Pesserti, Consulis Roterodamensis se uidisse, Christ. Sandius testatur p. XII. Lutetiis Parisiorum in magno exquisitarum Bibliothecarum numero non nisi duo comparent exempla. Alterum, sed mutilum, et II. libris truncatum in Bibliotheca Regis, alterum in Colbertina occurrit, Auctore, antea nobis commendato, Simonio T. I. Bibl. Crit. p. XXXII. Eundem tamen librum Melanchthonem manibus contruiisse, apparet ex Ep. Eius CXLI ad Io. Camerarium. Io. Micraelius etiam exemplo est usus, quod ipse de se profitetur L. III. Hist. Eccles. Sect. II. ubi simul recensionem libri, uariisque, quas continet, et sacrilegas locutiones exhibit, ac inter alia ineptam quandam, et puero uix condonandam argumentandi rationem allegat. ut adeo mirari satis conueniat consilium Regneri Vitellii, hominis Bataui, ista stercore qui adeo deperiit, ut in Belgicum illud Opus conuerteret sermonem, eamque uersionem anno 1520, quarti ordinis forma, publici faceret iuris, disimulato licet nomine, cuius non nisi litteris R. T. significationem dedit. Sed uerum Eius nomen esse Renier Telle, uel, quo alias uenire solebat, Regnerum Vitellium, bene conjectatus est Sandius Bibl. Vn. p. XII. cuius coniecturis fidem addit Sim. Episcopius, qui

HISTORIA

singulari Epistola, quam ad Vitellium 100xvi exarauit, Eum ad instituto Belgice libros Serueti conuertendi, dehortatur, grauiterque admonet, ne inchoatam perficeret uersionem. Occurrit ista in Vol. Epist. Arminia. Num. cccxxix. pag. cccxciii. Eundem praeterea foetum Auctori suo germano scienter, ut semper solet, vindicat V. Cl. Io. Mollerus, in Theatro Anon. Placciano p. d.

§. VII.

Nec uero in solo hactenus enarrato libro deprauatae suae doctrinae fundamenta iecit, sed etiam in aliis eandem cramben apposuit, sententiamque suam aut inuoluit, aut palliauit. Anno enim in sequenti xxxii iisdem formis, iisdemque tum loci, tum typographi indicis, quibus antecedens liber excusus est, conscripti, lucem aspexere alii tractatus, exiguae magnitudinis, manu Serueti perpoliti, quibus hunc titulum fecit : *Dialogorum de Trinitate libri II. de iustitia regni Christi capitula IV.* In fronte horum tractatum eadem uerba conspicuntur, quibus prior ille liber erat insignitus, sed cum pauca saltem exempla fuerint excusa, ea que sollicite a Caluino, aliisque suppressa, difficillime copia illorum fieri potest. Subiuncti tamen leguntur uersioni Belgicae, a Vitellio curatae, cuius paullo ante declarationem dedimus. Utrumque, Belgice transfusos, in instructissima Summi, et Incomparabilis Theologi, ac fundissimi Oratoris, IO. HENR. FEVSTKINGII, Patroni nostri, Parentis nobis loco obseruandi, Bibliotheca, ad quam liber nobis erat aditus patefactus, oculis usurpauimus, ueraque esse cognouimus, quae Viri eruditio de hac uersione exponunt. Ipios hos tractatus breui praefatioue Seruetus munivit, qua nihil agit aliud, quam ut culpam deprecetur, quam in eo admisso sibi uidetur, quod barbare, ac minus polite prior de Erroribus Trinitatis liber prodierit. Mire tamen

men sibi in reliquis placet , nec obstare putat hiulcam, et deprauatam locutionem , quo minus sententia maneat uera. *Non enim uellem, ita inquit Seruetus, quod propterea Christianus aliquis offenderetur, cum soleat aliquando Deus per sua mundi organa suam sapientiam proferre. Obserua igitur obscuro rem ipsam, nam si mentem aduertes, non te impedita mea herba. Vale.* uide uerba, quae haec antecedunt , supra a nobis descripta, et compone inuicem Sandium p. XII. ac Sainiorum pag. XXXIV, quorum hic fide utimur , pariter ac auctoritate stamus. Collocutores in Dialogis hisce singit Michaelem, et Petrucium, eosque ita exorditur , ut Simonius refert T. I. c. III. B. C. *Necessario secundum Scripturas haec tria debent conuenire: Λόγος, Elohim, et Christus, quod ex sola collatione principit Genesis cum principio Euangelii Ioannis probabo.* Alterum quod adiunxit opusculum de iustitia regni Christi, in IV dispeccit partes, quomodo in eis enarrandis uersatus fuerit, ipse exponit uerbis illis, quae operi praefixit, cumque inde optime de contentis eius iudicium ferri posuit, pulchri rem operis iudicamus, ea hic ex Sandio et Simonio I. c. repetere. *Praesentem tractatum (uerba sunt Seruetti) IV capitulis distinguam. In primo capitulo Paulinas sententias, quas de Iustificatione protulit, exaggerabo: In serundo de regno Christi uerba faciam: In tertio legem Euangeli conserbam: In quarto charitatis uias enarrabo.* Prodigiosos cetera hic tradidit errores, foedisque deliriis pristina commenta partim auxit, partim incrufauit, et, ne hic occupemus inferius dicenda, ita opinionum suarum portentis animum Mart. Buceri, Viri, leni alioquin et tractabili ingenio praediti, concitatuit, ut publice professus fuerit, dignum esse huius libri Auctorem , qui auulsiis uisceribus discerperetur, apud Caluinum ep. CLVI. et God. Arnoldum l. c. p. CCCVII. qui tamen in loco Caluini uitiose excitato emendandus est.

§. VIII.

HISTORIA

§. VIII.

Cum itaque facile assequeretur Seruetus , sibi nec Bafileae , nec in Germania esse licere tuto , clam se subduxit , Galliasque denuo petens , Lugduni satis pacate uixit , et medicinam faciendo , uitam transegit . Anno uero xxxiv Lutetias uenerat Seruetus , ibidemque virus suum dispergere non erubuerat , ubi cum in Caluinum incideret , ea tempestate Lutetiae commorantem , anxie eius colloquium expetere , uideri uolebat , nec renuit Caluinus , qui stipulato , condictoque loco , et tempore Seruetum expectauit , at , cum frustra diu expectasset Caluinus , tandem se a Serueto delusum non sine aliquo indignationis sensu uidit . conf. hanc in rem Th. Bezam in Vit. Calu. ad A. xxxiv. et Io. Henr. Hottingerum H. E. Sec. xvi. P. II. c. III. p. DCCXXII. Qui hunc excipit , anno editionem *γεωγραφικῆς τοπογράφεως* Cl. Ptolemaei curauit , memoratam Gesnero et Simlero , Mich. Villanouano explicatum , et emendatum Cl. Ptolemaeum tribuentibus , improbatam uero Io. Caluino in Defens. Orthod. Fid. , apud Schlus selburgium Catal. Haeret. L. XI. qui etiam ex uolumine illo Ptolemaei , cum Villanouani praefatione edito , quaedam accusationis capita excerptis . Ipse liber iuxta Bil. Pirckheimeri uersionem prodit ex officina Melchioris , et Gasparis Treschel , Fratrum , Lugd. xxxv. ordinis maximi magnitudine , cuius integrum titulum , maxime cum Cel. Fabricio in Bibl. Gr. L. IV. c. XIV , pag. CCCCXIII. eam editionem silentio inuoluere placuerit , apponere non dubitamus . Cl. Ptolemaei Enarrat. Geogr. L. VIII. ex Bilibaldi Pirckheimeri tralatione , sed ad Graeca et prisa exemplaria a Mich. Villanouano iam primum recognitis Adiecta insuper scholia , quibus exoluta urbium nomina ad nostri seculi morem exponuntur .

§. IX.

§. IX.

Accedit hisce alius liber, a Serueto conscriptus, quo quidem, quantum in arte salutari profecisset, comprobare uoluit. Tectus enim Mich. Villanouani persona non ita multo post uolumen euulgauit, quo *uniuersam rationem Syruporum, ad Galent censuram diligenter expositam*, adiecto insuper Commentario in Hippocratis Aphorismum, *concocta Medicariet.* explicauit. Excudebat Luteriae in officina Henr. Stephani Sim. Colinaeus 15xxvii. Venetiis Vincent. Valgrisius XLV. et Lugd. Guil. Rouillius XLVI. octaua forma. conf. Pasch. Gallum in Bibl. Med. p. ccxxxix. Isr. Spachium in Elencho Medic. p. clxxxix. et Lindanum de Scriptis Medicis p. ccccli. Lugduni postea, ad Sacrum Codicem ab erroribus Typographi emendandum, fuit conductus, eoque labore suo quingen-
tis Francorum libris Typographum emunxit, quamvis me-
rito ab hoc negotio arcendus fuisset Seruetus, qui, ut Caluinus
conqueritur, praestantissima oracula partim nugis, partim
deliriis suis inquinauit, in primisque insigne illud, et exqui-
sitissimum Vatis Iesiae effatum, quod Capite LIII conti-
netur, de quo quis potius alio, quam Seruatore orbis expli-
candum temeritate quadam profana, sed quam alii, maxi-
me H. Grotius aeruлатi sunt, putauit. Mirum est, Serue-
tum inter Pontificios, in indagandis, plectendis ue haereti-
cis, quos sibi fingunt, multo solertissimos, tanta licentia, et
nequitia sententias suas, doli, errorumque plenissimas, spar-
gere potuisse, quam etiam socordiam, ut uocat, criminis uer-
tit Pontificiis Dan. Chamierius, Theologus Caluinianus, ex-
probratque, quod in doctrinas Serueti animaduértere no-
luerint, quando T. II. *Pansratiae Catolicae* L. I, c. V, N. XI.
p. x. ed. Francof. *doctrinam*, inquit, *de Trinitate confessus Cal-
uinus, et constantissime contra nouos haereticos tutatus est, et
tam scertentibus Papistis, apud quos Seruetus quamdiu uixit, tuto*

C

uixit:

HISTORIA

nixit : tum demum et uim ueritatis expertus in Calvino , et in Magistratu sanctam seueritatem , cum Geneuam uenisset . etc. Nec uero plane impune tulit improbi moris licentiam Seruetus , cum enim pulchri rem operis iudicaret , doctrina sua alios non timidius amplius , aut tecte , ut antea fecerat , sed publice , erudire , adeo incaute res suas curabat , ut inquirerent in eum Iudices , causamque eius cognoscerent . At ille oderatus , quid Iudices existimarent , fuga salutem quaerere , Lutetias se proripere , alias postea Galliarum , ac Belgii urbes inuisere , tandemque , multis ita annis exactis , cum Lugdunum ipsam adire non consultum putaret , Viennam Allobrogum , urbem Lugduno non procul dissitam , concedere , tradentibus praeter Bezam , Hornio Hist. Eccles. p. cccxlvi. Lubienicio L. II. c. V. Ref. Pol. Hist. aliisque . Ibi uero , cum ante sibinon quiescendum esse crederet , quam falsas suas denuo euomuisset doctrinas , maiorique cura confirmasset , Arnolleti , Typographi Lugdunensis , quo amico semper usus erat , animatum precibus suis delimit , ut magnum uolumen Viennae clanculum formis suis exscriberet . Est is ultimus liber , a Serueto elaboratus , in quem uero , quicquid superioribus libris impie , et blasphemie dictum fuerat , coniecit , quandoquidem eum ex Lib. VII. et Dialogis , supra a nobis explicatis , compilauit , aliisque erroribus auctum , ita amplificauit , ut in spissum satis euaderet uolumen . Inscriptis illud opus splendido , magnificoque titulo , uti semper contemptum de aliis , magnifice uicissim de se sentire consueverat , quem hic , quamuis longiorem , referre non dubitamus : CHRISTIANISMI RESTITUTIO , hoc est , totius Ecclesiae Apostolicae ad sua limina vocatio , in integrum restituta cognitione DEI , fidei Christi , iustificationis nostrae , regenerationis , baptismi , et coenae Dominicæ manducationis , restituto denique nobis regno coelesti , Babylonis impie captiuitate soluta , et Anti Christo penitus cum suis destructo . Nullam uero uel Auctoris ,

ctoris, uel Typographi, uel denique loci, mentionem adiectam esse uideas, sed prodiit eo ipso, qui Serueto exitialis erat, anno LIII, ordinis, ut uocamus, octaua forma, constatque, si Sandio pag. XIV. Bibl. Vnit. credimus, paginis DCCXXXIV. Excudit uirulentum librum, quem *rhabodiam ex impiis omnium actatum deliriis consutam* uocat Caluinus Ep. CLIII. Arnollettus antea nominatus, correctoris autem, ut in officinis istis audit, munere defunctus est Guil. Guero-tius, homo facinorosus, et ob uitam, multis sordibus inquinatam, Geneua exul. Vtrumque solicite indagauit Th. Beza in Vit. Calu. Ipsum praeterea Serueti nomen non apparet, si a litteris discedas, quas ultimae libri orae illini curauit, uidelicet M. s. V. id est, *Mich. Seruetus Villanova-nus*. Comparandum hic suaserim consultissimum Vrbis Bremensis Syndicum, Cl. Mastrichtium, in Collectione Anonymorum Placciana c. II. p. xciii. qui tamen festinanter scripsisse uidetur, ubi Christ. Sandium immerito accusat, quod hunc librum non ut Anonymum alleget, et praeterea ipse non uiderit. In aliam enim descendet sententiam, qui ipsum Sandium inspexerit, et inter alia haec eius uerba apud annum perpenderit suum: *Differunt multum libri de Erroribus Trinitatis, et Restitutio Christianismi, prout mibi patuit, cum utrosque codices inter se contulisset.* Sunt quidam, qui putent, esse hunc librum secundam priorum editionem, at merito nouus, planeque diuersus a priore illo haberi potest, adeo omnia immutauit, multisque contra Melanchthonem, qui singulari tractatu impietas eius prostrauerat, et Caluinum additis, auxit. Turpiter autem falluntur, quotquot cum uulgo, librum hunc anno LV prodiisse, sibi persuadent, notati iam a Sainiorio Bibl. Crit. T. HI, c. III. Eadem uero fata hic quoque liber, quae superiores subierunt, expertus est. Insitior enim Typographi, Vir pius, et cordatus, ut Caluino audit, de contentis libri admonitus, quot-

HISTORIA

quot habuit, suppressit exempla, nec minus Francofordenses, a Caluino litteris excitati, quas uide inter epist. Eius Num. LIII. Librario non recusante, omnia exuferunt exempla, ita ut, Simonio sponfore, p. xxxvi l. c. duo uel tria tantum aetatem tulerint exempla. Proinde operaे pretium fecerunt Ios. Simlerus Bibl. p. dvi. Sandius in Bibl. Libro non undiquaque obuio, p. xiii. et God. Arnoldus, qui ex Sandio repetit, quando succincte rationes, indolemque libri enarrarunt. In Bibliotheca tamen Cassellana unum exemplar reperiri, commemorat Sandius p. xiv. aliud Basilea Dublinum esse translatum, apud Sainiorium tradit Duboisius p. xxxv. Bremae etiam in Bibliothearia publica idem occurrere uolumen, consultissimus Mastrichtius, loco supra commendato, confirmat. Apud Samuelem Crellium, nepotem Ioannis Crellii, famosissimi illius apud Racouenses pastoris, cuius uitam Ioachimus Pastorius ab Hirstenberg, Eques Polonus, scripsit, quaeque tum Ethicae Crellii accesit, tum Bibliothecae Fratrum Polonorum inserta est, et hoc, et reliqua Serueti opera extare, litteris a Viro celeberrimo edocitus sum. Haeret ille iam in Poloniae, et Silesiae finibus, et ita sectae Vnitarianorum addictus est, ut nihil supra, constanter uestigiis Parentis Christophori, et, quem antea nominabamus, aui Ioannis inhaerens. Atque hic in ceteris est liber, cuius nomine in uincula coniectus, ipsaque morte punitus fuit, cui etiam non sine luculenta arrogantis animi significatione hanc ex Apocalypseos Ioanneae c. XII, c. VII sententiam praescripserat: *Factum est in coelo praelium magnum, Michael, et Angeli eius pugnabant cum dracone.* Vnde, credo, dimanauit rumor, qui Seruetum, illa uerba de se interpretatum fuisse, tulit, nec praetereundum ducimus, Th. Bezam eam diserte culpam Serueto tribuere, quod se Michael Archangelum appellari, qui etiam, ut hanc re-tunderet iniuriam, *CVM iſtud non pro nata, sed pro oī accipi debere.*

debere, in Vita Caluini monet, in quo quidem momento Be-
zam sequuntur Georg. Matth. Koenigius in Biblioth pag.
DCCXLIX. aliisque.

§. X.

Atque hi fere sunt libri, a Serueto profecti, quibus ta-
men addimus, qui primo loco erat nominandus, librum
Hispanicice scriptum, et hoc titulo insignitum: *Thesaurus A-
nimae, sive Thesaurus animae Christianae, alias Desiderius Pere-
grinus.* Eius Auctorem Seruetum esse, praestantissimus
Pseudonymorum interpres, Adr. Bailletus P. III, c. IX. pag.
cccxvi des *Auteurs deguisés*, et, doctissimus Vir, Vinc. Placci-
rus in Theatro commonstrant. Argumentum libri repe-
rio in Supplemento Bibliothecae Gesneriana, ubi ita: De-
siderius, dialogus de expedita ad Dei amorem uia, ex Hi-
spanico in Italicum, Gallicum, et Germanicum sermonem
conuersus. Multa in eo libro bonae frugis contineri, Vir Reu.
et Cl. God. Arnoldus profitetur, qui etiam cum aliquo indi-
gnationis sensu conqueritur, in Germaniae uersionis editio-
nibus istas loquendi formulas uel eliminatas, uel emendatas
esse, in quibus errorum suorum uestigia reliquise uisus fue-
rit. Placuisse tamen multis Dialogum istum, uel ex iteratis
saepius editionibus colligas. In uarios enim sermones trans-
fusus, Latine tum seorsim prodiit, tum compendio Theologiae
Erasmicae accessit, Belgice saepius, interdum satis nitide
excusus, ac aliquando figuris distinctus, ryhtmis etiam ex-
pressus, Germanice uero conuersus Dillingae 1583,
et alibi saepius lucem aspergit, quas editiones uide recen-
sitas apud Gesnerum loco supra memorato, God. Arnol-
dum l. alleg. et Sandium in Bibl. p. xi. Alii, si qui extant,
libri nostram effugiunt notitiam, si discedamus ab Apolo-
gia, qua causam oravit suam, et ultimo, qui circumfer-
tur, sermone, quos tractatus commentationibus suis in-

HISTORIA

seruerunt Caluinus, et Lubienicetus, a nobis deinceps commemorandis. Allegat quidem Summus ille, et exquisitissima doctrina instructus Theologus, Conr. Schlusselburgius l. c. p. ii. Epistolas et Dialogos de regeneratione, a Serueto luci expositos, sed forte dicere uoluit Dialogos de Trinitate, de quibus supra, nisi L. III. Restitutionis Christianissimi intellexit, in quo de Regeneratione exponit Seruetus, uti et L. IV. illius libri epistolae continentur, numero xxx, quas ad Caluinum exarauit. Neque uero alias scribere potuit, uel excudi curare, uix enim formis exscriptum erat ante declaratum uolumen, cum mature Proceres Vienneses de pestilentissimo foetu, qui Serueti auspiciis lucem aspexisset, certiores facti, in Auctorem inquirerent, cumque effugere non posset, Viennae, non Venetiis, quam uocem Schlusselburgio excidisse uideo, et, qui huius scrinia, ut ferre semper solet, compilauit, Paul. Stockmanno Elucidar. Haeref. pag. DLX. carceri manciparent. Sed uincula ista felicititer eluctatus est, aut arte elapsus, quod plerique, nec praeter rem, aut a Senatu dimissus, cum se hostem emendatae per Lutherum doctrinae diceret, hocque uaferri mo commento poenas euaderet sibi decretas. uid. Caluinus ep. CLVI. Beza in Vit. Calu. Schlusselburgius L. XI. pag. xii. Osian der Centur. XVI. L. II. C. XXI. Fried. Spanhemius, T. III, Op. Theol. p. DCCXCVIII. et quos allegat Auctores, Arnoldus l. c. p. CCCVI. Quam imperite, ac fallio haec enarret Lud. Maimburgius T. III. Hist. Arrian. p. CCCXLII. facile colligas ex hisce eius uerbis : *ce malheureux homme étoit dans l' Allemagne, et dans la Pologne, et comme il avoit grande envie d' infecter la France, il eut la hardiesse, d' aller à Genève, mais Calvin le fit arrêter par le Magistrat.* Quibus quidem confutandis non insudamus, cum ueritatem ita dederimus exploratam ut, quantum ille cuius falsitas parum firmamenti, uiariumque habet, ab ea discesserit, statim appareat.

§. XI.



§. XI.

Ita elapsus Seruetus, errauit fere per Italiam IV Menses, tandem Venetas iter est ineditatus, cum uero Geneuam mensē Augusto transiret, ibidemque aliquot dies consisteret, sive Caluinum, e suggestu ad populum uerba facientem, auditurus, quam causam nonnemo allegat apud Benthemium in Statu Hollandiae Ecclesiastico, p. 1545vii. sive Socini pre-cibus, eius consuetudinem efflagitantis, locum relicturus, mox a Caluino agnitus, eoque Auctore in carcerem ductus est. Quod ipse Caluinus Ep. CLVI non dissimulat, cum qua componenda sunt, quae ad Farellum, Neocomensium Sacrorum Antistitem, scribit Ep. CLII. nam ibi ita uerba fluunt : *Seruetum hoc malis auspiciis appulsum, unus ex Syndicis, ME AVCTORE, in carcerem duci suscit*, et hic sequentia leguntur : *Hac forte transire cogitabat, sed cum agnitus fuisset, retinendum putau*. Nec alium, quam Caluinum, mortis Serueti Auctorem agnoscit, Lubienicus Hist. Ref. Pol. L. II. c. V. consentit Beza, ex quo, quamuis praeterito nomine, repetit Mel. Adami in Vit. Theolog. p. lxxxii. et, qui Adami plumis superbit, Marqu. Freherus Theat. P. I. Sect. III. p. cc. Ut adeo frustra plane sint, qui contra tot locupletissimorum, quosque domesticos agnoscere debebant, testium fidem, Lutheri disciplina imbutis, saltem ut inuidiam illis conflent, factum hoc imputant, a qua criminazione, ludicra certe, et omni destituta fundamento, mirum est, God. Arnoldum, Virum, qui tum sibi, tum aliis excellenter in Historia uer-satus esse uidetur, sibi temperare non potuisse. Quae quidem copiose confutasse, nihil attinet, cum tanta hic radiet luce ueritas, ut uel manibus palpari possit. Interceptus itaque, uti diximus, a Caluino, carceri a Senatu includitur, atque in capitale uocatur iudicium. XL erant capita, quorum initio apud Iudicem accusabatur, quorum quidem rationem ut redde-

HISTORIA

redderet, causamque simul suam ageret, trahitur ad iudicem, ibidemque de capitibus accusationis certior fit. Quae ubi cognoverat, tergiuersabatur diu, quaedam deinde negabat, alia emolliebat, in plerisque uero mente sua excidiſſe accusatorem, qui Caluinus erat, querebatur. Ne uero iudicibus, earum rerum non intelligentibus, fucus a Serueto fieret, accersuntur Theologi Geneuenses, princepsque in illis, Io. Caluinus, qua ualebat, oris facundia omnia denuo declarare, Serueto praesenti errores exponere, Senatum ad vindicandam Numinis diuini gloriam calcar addere, ac animare. uid. Epift. Calu. CLII. et *Fidelis Expositio errorum Seruetti*, a Caluino publici iuris facta. Hic autem cum negare a Caluino pronunciata non posset, feroci animo Caluino conuitiabatur, reliquos quoque, ac si sibi obnoxios haberet, conuitiis proscindebat. Vbi, quamuis digne eum exciperet Caluinus, Senatus tamen, auctoritate sua interposita, cavit, ne ulterius uel alterationibus, uel iniuriis tempus perderent, quod in animo Seruetti flectendo, collocandum esset. Maiori proinde animi moderatione colloquiis Ministri Geneuenses interfuerunt, mutuisque sermonibus, quos frequentes cum eo contulerunt. At Seruetus, antiquum obtinens, nihil de sententia sua remittebat, Caluinumque, mendacii subinde postulans, et uel cum Simone Mago, uel Manete, componens, nihil praeter conuitia, nudisque negationes ad propositiones, a Caluino obiectas, regerebat. Quam acerba autem fuerit disputatio, et quanta animorum contentione res utrinque gesta, apparet ex Epistola Caluini CLII. Sleidani Comment. L. XXV, p. DCCCXI. Fr. Spanhemii T. III. Op. Theol. P. II, p. DCCXCVIII. Schlusselburgii libri, quem saepius laudauimus, p. XII. et, unde optime de hoc momento constare poterit, Caluini defensione Orthod. Fidei, quae anno Sec. XVI. LIV lucem aspergit. Cui cum horum certaminum Acta integra inseruerit Caluinus, quantas

tis de rebus susceptae fuerint controversiae, plenissime cognosci poterit.

S. XII.

Inter hasce ita concertationes aliquot, non hebdomades, ut minus recte Sandius p. vii. et, qui eum sequuntur, sed menses praeterierant, postea quam Caluinus, cum prae-terea nullum uel poenitentiae signum, uel bonae mentis indicium edidisset Seruetus, Senatui Auctor, hortatorque extitit, ut de supplicio, a Serueto sumendo, cogitarent. Sed ne quid aut festinanter, aut temere in negotio tam arduo, caufaque capitali fieret, in consilium Doctores Tigurinos, Schaphhusanos, Bernates, Basileenses denique adhibuit Se-natus, ut ex confessionibus Serueti, iuxta ac Caluini, reliquo-rumque accusationibus, quae iunctim transmittebantur, tum de doctrinae, tum supplicii genere pronunciarent. Qui quidem prompte officio suo defuncti, ad Senatum referunt, censemt, seuerius in Seruetum animaduertendum esse. Consentiunt enim omnes in consilia Caluini, erroresque detestantur, quos non per calumniam excerptos, aut a Cal-uino conflictos esse profitentur. uide Epistolas illorum, copiose, nec imperite scriptas, in Epist. Caluini, quibus inser-tae sunt, Num. CLVIII. fqq. Rem breuiter, prouti gesta est, exponit Caluinus Ep. CLXI. ad Farellum scripta : *Rediit ab Helvetiis nuncius: Vno consensu pronunciant omnes, Seruetum impios errores nunc renouasse, et monstrum esse non ferendum. Cordati Basileenses. Tigurini omnium uebementissimi. Nam et im-pietatum atrocitas grauiter ab ipsis exprimitur, et hortantur Se-natum ad seueritatem. Subscribunt Schaphhusani, Bernensium litteris etiam appositis, accedunt et Senatus litterae, quibus non pa-rum stimulati sunt nostri. Iunctae erant istis epistolis litterae, Io. Halleri, Bernensis, et Simp. Vogtii, eadem continentes, uti refert Ottius in Annal. Anabapt p. cxv. §. ii. Guil. Fa-rellus*

D

HISTORIA

rellus in primis Caluinum ad poenas a Serueto sumendas incitat, Epistola quadam, quam uid. in Epist. Caluini Num. CLV. Ut adeo denuo falsi sint omnes illi, qui cum nonnmine, a Lutheranis Senatus animos ad seueritatem fuisse accensos, fingunt. Nullum enim ex nostratis conscientia causae Seruetianaee esse uoluerunt Proceres Geneuenses, nec ullus comparet, qui Caluino auctor ad talia perpetrandam fuerit. Amice potius cum hisce conspirant, et ad ueritatem accedunt proxime, quae B. Heshusius, se aliquando ab alio accepisse, in libro de S. Coena ait, quando ita : *Narravit mibi Clarus vir, et fide dignissimus, se uidisse Caluinum publico iudicio assidentem, atque sententia sua condemnantem Seruetum capitali iudicio.* Cui iungimus aliud, non minus luculentum testimonium, quod in Sorberianis p. XLVIII reperitur, ex quibus etiam Cl. Actorum Eruditorum Collectores ad Anno 1594 p. CLXIII. excerpunt, ubi epistola quadam, quam manu exarata Lutetiae legerat Grotius, se operam daturum, Caluinus asseuerat, ne, si Geneuam peteret Seruetus, inde exiret uiuus. Quae cum ita se haberent, communibus Patrum suffragiis condemnatus, iudicisque sententia decretum fuit, uiuus igne ut exureretur. Obstat quidem initio Caesar Comicus, illumque poena eximere annis fuit, sed frustra, et, quamvis atrocitatem poenae imminutam cuperet Caluinus Ep. CLXI, reprehensus hoc nomine a Farelo Ep. CLV, nihil tamen in eo profecit. Quam de se latam sententiam, cum non nisi commotiori animo, ualdeque turbulentio audiret Seruetus, nunc suspiria ducebant, nunc lacrymae cadebant, quasi puer, ut Caluinus testatur in Def. Orth. Fid. nunc, supplicii genus exhorrescens, Iudicum misericordiam implorabat. Neque uero uel sic de pertinacia quidquam remittebat, sed nouo, eoque effrenatae audacie exemplo tum Caluino, tum Iudicibus convitiabatur, nec permittebat, ut uel populus, ut fieri consuevit, supplices pro eo ad Deum funderent preces,

ces, uel Ministri Ecclesiae eum adirent, xxvii dies Octobr. Patrum consulto erat constitutus, quo ad supplicium ducendus, flammisque ultricibus exurendus esset Seruetus. Non enim audiendi sunt, qui alium uel mensem, quod plerique faciunt, uel diem adsignant, id quod praeter alios Seth. Caluinus in Chronologia facit, quando diem septimum et decimum Octobris substituit. Diserte enim nostram tuetur sententiam Io. Caluinus Ep. CLXI, anno LIII. die XXVI Octobr. scripta, in qua talia legas : *Sine controversia damnatus est, cras ad supplicium ducetur.* Nec minus dilucide Ep. CLXII. ad Bulingerum data, quam XXV Octobr. scriperat : *quantum, inquit, conjecturis assequor, cras feretur in curia iudicium, perendie uero ad supplicium ducetur.* Clarius adhuc Beza in Vit. Caluini ad annum LIII rem conficit : *xxvii Octobr. inquiens, infelix Seruetus unius tremebatur, ex quo repetit Mel. Adami in Vit. Calu. idem confirmat Spondanus T. II. Annal. p. DL. et Bucholzerus in Isagoge Chronol. nec dissentit Sleidanus L. XXV. Com. Exstructa erat strues lignorum ex fasciculis querinis uiridibus, adhuc frondosis, admixtis etiam lignis taleis, ad quam ducebatur Seruetus, caput corona indutus, ex stramine contexta, eademque sulphure copioso conspersa. Ascendere eam struem iubetur, corpus postea palo catena, ex ualido ferro conflatu, alligatur, collum autem fune spissu, eoque quadruplici, sed laxo simul adstringitur, Liber, quem sub specie Restitutionis Christianismi Orbi obtruserat, femori alligatur, atque ita, igne subiecto, totus exuritur. Sed cum uiride lignum non statim igne corriperetur, uentoque, qui exoriebatur, uehementiori flamma depelleretur, lenite ustulatus, ac per duas horas, et amplius, miserandae sortis exemplo, ita excruciatu fuit, ut tandem, sublata in coelum incondita uoce, in haec erupisse dicatur uerba : *Hu me miserum, qui uitam hoc finire nequeo! Anne ducenti coronatis aurei mihi capto abrepti, et non exusti, lege reclamante, torques-**

HISTORIA

que aureus de collo dependens , sufficiebant , quibus affatim lignorum coem , et hoc congeri potuisset , mibi misero consumendo . Refert haecce ex Pet. Hyperphrogeno Sandius p. viii. uid. etiam elegantissimam Cel. Viri, Ern. Sal. Cypriani disputacionem de mortibus Socinianorum violentis , quam Pentadi sua , ut uocat , dissertationum Ecclesiast. addidit. Aderat semper Guil. Farellus , Eique subinde acclamanti : *Crede in aeternum Dei Filium, Iesum Christum,* constanter respondit : *Ego credo, Christum esse uerum Dei Filium, sed non aeternum.* Tandem uero sine perorata ad populum causa sua , interemptus , periit. uid. praeter laudatos Sleidanus l. alleg. et Beza in uit Calu. Supereft quidem sermo , qui sub nomine Serueti circumfertur *de uera Dei, et filii Eius cognitione* , quem Geneuae ante fecisse dicitur , quam rogum concenderet , quemque Historiae suaे Refor. Polon. inferuit Steph. Lubienicus p. xcix sqq., ex Eoque, Germanice operose conuersum , in Historia sua Haeret. exhibet God. Arnoldus , sed aliud huncce sermonem redolere Auctorem , Simonius iudicauit , ut Cl. Lexici Vniuersalis Germanici collectores trahunt , nec fundamento ea suspicio carere uidetur , cum Calvinus non nisi Apologiae illius mentionem faciat , qua apud Iudices caufam egit , occurrentis in Def. Orth. Fid. de aliis uero sermonibus plane taceat , et contrarium potius l. c. apud Schlusselburgium p. cxciv afferat. *Pro defensione suorum dogmatum ne uerbum quidem fecit, et sub manu carnificis positus, Filium Dei inuocare, pertinaciter renuit, non breuiter tam excusauit.* Talem uitiae exitum sortitus est Seruetus , homo haud ita doctus , et pertinacior , quam sapientior , qui etiam celebritatem habet nullam , nisi a supplicio. Contigerunt uero ea omnia , die supra nominato , et Anno R. G. 1531. ut adeo emendandus hic sit communis plerorumque error , qui cum Io. Cochlaeo , nugacissimo scriptore , de Actis Lutheri ad ann. XXXII. Surio in Hist. eiusdem anni Rob.

Rob. Bellarmino de Script. Eccles. P. II, p. cxxiii. et in Praef. Controvers. de Christo, Dion. Petavio T. II, Dogm. Theol. L. III. in Prooem. N. II, p. cxxix edit. Io. Clerici, lapsu illum, quod miror, non emendantis, aliquique annum LV substituunt. A quo tamen lapsu non immunes sunt Conr. Schlusselburgius Catal. Haeret. L. xi. p. xii. Mieraelius L. III. H. E. Sect. II. p. DCCCLXXX. Osiander Cent. XVI. L. II, c. XXI. Io. Andr. Quenstadius in System. Theol. p. cccliv. Paul. Stockmannus Elucid. Haer. p. DLX. alius beatus Vir, et immortaliter de Ecclesia promeritus, cui in Collegio Anti-Sociniano, p. ix aliud agenti, annus LVII excidit, aliquique plurimi, qui ex ipsis fontibus riuiulos suos consectetur. Praeter ea enim luctantia testimonia, quae ex Caluino, Bezaque attulimus, qui anno LIII Seruetum interisse, confirmant, ipse Socinus in lib. contra Bellarmum c. II. eodem anno et die, quem insinuauimus, id accidisse, profiteretur. Cumque anno LIV causam supplicii Seruetiani reddiderit Caluinus, facile cognoscimus alterius sententiae falsitatem.

§. XII

Perempto ita Serueto, hac eius morte multi intercepti sunt libri, quos Venetiis editurus erat, quorum nomina recenset Alph. Lincurius¹, discipulus, Cuiusque Serueti in praef. V. Libr. *Declarationis I. Chresti*, ex quo repetunt Sandius pag. xv. Lubienicus p. xcviij. et Cel. Lexici Germanici Vniuersitatis Auctores in Articulo Serueti. At enim multarum in Heluetiis turbarum hic Serueti exitus occasio fuit. Quidam enim coercendos quidem, sed non ultimo supplicio afficiendos Haereticos statuebant, boni etiam, Caluinique in ceteris amici ita iudicabant, ueriti, ne furor tyranorum in pios accenderetur, si uiae, a Caluino tritae, infeste pergerent. Aliorum proinde indignationi, aliorum irae sese propinauerat Caluinus, nonnullis, iniuste Seruetum

D³

subla-

HISTORIA

CHARON

sublatum, querentibus, nonnullis contra truculentum Caluino exprobrantibus animum. Quam, sibi ex nece Serueti conflatam inuidiam, ut declinaret Caluinus, odiumque mitigaret, anno infuscato, scilicet LIV, defensionem sui suscepit, edito libello, quo et Serueti doctrinam confutauit, et gladio in haereticos animaduertendum esse docuit, hocce titulo : *Defensio orthodoxae fidei de S. S. Trinitate, contra prodigirosos errores Mich. Serueti, Hispani : ubi ostenditur, iure gladii haereticos esse coercendos.* Male Calouius Auctor huius libri uocatur in Índice Annal. Anabapt. Ottiano, quam tamen credo, uocem per Typographi errorem irrepuisse. Huic uero acris se opposuerunt nonnulli, et ut Frid. Vlr. Calixtus in Tract. de Haeresi, et poenis Haereticorum p. ccclxiii. Auctor est, Geneuensem Ecclesiam nouam instauratae Papistiae crudelitatis officinam appellantur. Inprimis, quos reliquerat sectatores Seruetus, aegerrime illum Caluini librum ferebant, ac, quanta poterant festinatione, farraginem componebant, ex uariis Virorum quorundam, tum ueterum, tum recentiorum lucubrationibus, maxime hominum fanaticorum scriptis consarcinatam, quam addita Mart. Bellii praefatione, adiuncta sub Basil. Montfortii persona refutatione eorum, quae Caluinus dixerat, in forma Dialogorum, in quibus Caluinus et Vaticanus mutuos caedunt sermones, luci exponebant publicae. Inscriptus erat liber Illustrissimo Virtebergensium Principi, Christophoro, ementito ciuitatis Magdeburgensis nomine, quod in titulo comparebat, ubi editam esse hanc farraginem, fingeabant. Corrupte Auctor huius farraginis Belius uocatur a Mel. Adami p. ccvi l. c. uitiosius uero Prellius a God. Arnoldo P. II. Hist. Haeret. L. XVI. c. XXXIII. N. VIII. Quis uero sub Bellii persona lateat, dissentient Auctores. Seb. Castellionem eum esse, confidenter assertuerat Th. Beza in ut. Catuum ad An. LIV. cuius uestigii insistunt Paul. Colomesius *Melan-*
ges



ges *Historiques* p. LI. Ios. Simlerus pag. DCXX. et praeter alios
 Editor uersionis Belgicae huius tractatus, quae 10CXXX prodiit,
 in Praefatione, Lael. uero Socino, et Seb. Castellioni iun-
 ctim tribuunt Mel. Adami l. c. p. CCVII. Hornbeckius in Sum-
 ma Controu. L. VII. p. DLXIII. Thomasius Schediasm. Hist.
 §. LIV. Io. Fried. Mayerus in Hist. Socinian. p. XVI. Soli Lael.
 Socino, qui et postea, nomine Mini Celsi Senensis tectus, con-
 tra Bezam edidit tractatum de Haereticis capitali sup-
 plicio non afficiendis, vindicant Cloppenburgius in praef. So-
 cinian. confutati, et Sandius in Bibl. p. XX. Addunt alii ter-
 tium libri huius Auctorem, Coelium Secundum Curionem,
 ac a tribus istis ex scriptis aliorum esse compilatum, uolunt,
 quam uero simillimam conjecturam Io. Mollerus, V. cl, in
 Theatro Pseudon. Placciano N. CCCLXIV. bene attulit. Huic
 autem farragini respondit postea Th. Beza eodem anno LIV
 edito libello, formis Rob. Stephani excuso : *De haeretics a
 Magistratu Ciiali puniendis contra Mar. Bellii farraginem, et no-
 uorum Academicorum sectam*, qui etiam occurrit T. I. Tract.
 Theolog., Geneuae 10LXX excusarum, p. LXXXV. Cuius ta-
 men argumenta sub accuratius examen uocat Io. Gerhardus,
 ο πάντων, T. VI. Op. Theol. cui iungendum fuaserim Fried. Vlr.
 Calixtum in Tractatu supra memorato, praecipue c. V. pag.
 CCCLXV sqq. Neque uero isti tantum, sed alii ex recentioribus
 latam de Seruerto sententiam inique tulerunt. Theophilus
 Nicolaides, uel, qui hoc nomine tectus est, Val. Smalcius,
 quamvis Curcellaeus, Io. Volckelium sub ea persona latere,
 putet apud Sandium p. cii. Bibl. Defensionis Tractatus de
 Vera Ecclesia, quem Fa. Socinus scripsérat, c. II. tanquam ne-
 rum fratrem, et Messiae seruum occubuisse Seruetum, pronunciat
 apud Micraelium l. c. p. DCCCLVII. et Mayerum l. c. p. XVI.
 Io. Angelius Verdenhagenius, Professor olim in Academia
 Iulia, homo uarius et turbulentus, optimum Seruetum, et in-
 culpatissime uitae virum appellat in Ep. dedicatoria, quam
 Bodini

HISTORIA

godini Synopsi de Republica praemisit, unde Cloppenburgo non immerito in suspicionem Socinianismi uenit l. c. p. xxix. conf. B. Scherzerum in Colleg. Anti Socin. p. ix. Lubienicus l. c. p. cv. *atrox Caluini facinus, et Christi Spiritui contrarium* appellat. Franc. Lismanninus ex Monacho Franciscano, Socini sectator, magnusque in Polonia innovator, cum uideret, Seruetum a Caluino in Com. ad Act. Ap. c. XX, c. xxviii, qui extat T. V. Op. Theol. P. II. p. CLXXX. *Hispanicum canem uocari, margini indignabundus haecce uerba illinebat : Canis a Te factus, hoc disticho adiecto :*

*Cur Tibi sum, Caluine, canis? Tuus afficit ardor,
Ne canis heu! dicar, sed miseranda cinis.*

uti refert Lubienicus l. c. p. cvi. et qui eius laboribus saepe uititur, quamuis praeterito nomine, Sandius Bibl. p. xxxv. Nec H. Grotius in Caluini consilia consentit, quando in uoto pro pace Ecclesiae Caluinianis truculentas mentes exprobrat, ratus: *Spiritum Anti Christi non tantum ad Tiberim, sed ad lacum Lemnanum quoque apparuisse.* Ita etiam aliis, non incelebris Auctor, Reformatos tyrannidem quandam in Serueto exercuisse pontificia nibilo mitiore autumat, qui et alibi, *Ex Gallia, inquit, peruersus mos haereticos creuandi Geneuam irrepsit.* Quamuis uero praeterea multi putarent Caluinum capitalem in se ipsum sententiam dixisse, gladiumque Pontificis obtulisse, quo iugulare possent quosvis, Philippus tamen approbandum censuit Caluini ardorem in Epist. quadam, quae reperitur inter Epist. Caluini Num. CLXXXVII, quando ita: *Luculenter refutasti horrendas Seruetti blasphemias. Tuu iudicio prorsus assentior. Affirmo etiam, uestrros Magistrorum recte fecisse, quod hominem, blasphemum, re ordine iudicata, interfecerunt.* Nec superiore aetate Caluino defuit Alex. Morus, Castrensis apud Albios, Lutetiae dignitate Ecclesiastica functus, in Oratione de Io. Caluino, H. Grotio opposita, quam ualde commendat Hottingerus P. II. H. E. Sec. XVI.

c. III.

c. III. p. DCCCXLII. qui et idem Caluinum excusat, quod Seruetum, quem, deflexo in ludibrium nomine, PERDETVM appellat, exuri curauerit. Inprimis uero Caluini causam egit Andr. Riuetus in Refutat. Tract. Grotiani de Pace Ecclesiae, quam uide T. III. Opp. p. CLXV. compara etiam Ottium in Praefat. ad Annales, et in primis quaestionem, an haeretici puniendi? ut alios taceamus, ne praeter rem hafce pagellas uideamur extendisse.

§. XIV

Res iam posceret, ut errorum momenta, doctrinamque Serueti exponeremus, quam tam atroci mortis gene-re luere, necesse habuit Seruetus, sed nolumus, copiose tetterimas eius opiniones referendo, commentationem hancce uel nimis extendere, uel inquinare, praesertim cum alii iam eo labore defuncti sunt, quos indicasse sufficiet. Io. Caluino primariis hic debetur locus, qui in Def. Orthod. Fid. saepius a nobis memorata, et Institutionibus suis passim, in primis L. II, c. XIV. et L. I, c. XIII. tum ue-ro etiam in responsione ad ea, quae Seruetus regesserat, cuius disputationis contenta extant inter Opuscula Theologica Caluini p. DCX, sententias Serueti copiose explicavit. Quamvis enim H. Grotius Caluinum malae fidei insimulare uideatur, quando ita in uoto pro pace Ecclesiae ait: *Fateor, me, dum nixi, uidissem exemplum libertatis Serueti Latine, in quo certe ea non reperi, quae ei obiicit Caluinus*, meminisse tamen debebat, Caluinum non ex priore Serueti libro, quem legit Grotius, sed posteriore, Viennae excuso, errores Serueti excerptisse, quod et ante nos Rich. Simonio Bibl. Crit. T. I. pag. XXXVI fuit obseruatum. Praeter Caluinum idem praestiterunt Ministri Tigurini, et Basileenses, in Epistolis ad Senatum Geneuensem, quarum primaria capita exhibet Ottius

E

in An-

HISTORIA

nal. Anabapt. pag. cxv. quorum fides, non est, ut a God. Arnoldo, uel aliis sollicitetur. Seruatum non simplicem, sed ex multis impietatibus conflatam hereticorum larvam, puta, Arii, Marcionis, Sabellii, Photini, Manichaei, et Pelagii profiteri, Auctores sunt Basileenses Epist. clx. Stilum in primis strinxit in princeps Fidei nostrae caput de Filio Dei, uero Deo. Praeterea que adorandum de S.S. Trinitate mysterium plane sustulit, Eamque Tricipitem Cerberum, Gorgonis monstrum, Sathanae illusionem, appellavit, ut alias detestandas blasphemias taceamus, quas euomuit, et in libris eius legit Micraelius I. saepius cit. imo eo audaciae processit, ut stupenda temeritate eos omnes Atheos pronunciareret, qui uera Christianorum doctrina essent imbuti. Hinc merito Auctor, conditorque impiae Socinianorum sectae a Fried. Spanhemio I. laudato uenditatur, quicquid contra uel Smalcarius, uel Socinus, uel alii nugentur. Contra quos omnino uide B. Calouium in Oper. Anti-Soc. Samosateni, Arii, et Eutychis errores sapuisse Serueti de Christo sententias, demonstrat Beza Epist. LXXXI Theol. Ex traduce Dei orta esse omnia, et rerum naturam esse substantialem Dei Spiritum, putauit. Infipidum illud delirium, quod hodie nonnulli denuo incrunt, Deum omnibus et rebus et locis praesentia inesse essentiali, et propterea non brutis modo pecudibus, sed ipsis etiam corporibus inanimis, adeoque et scanno, cui insidebat Seruetus, imo ipsi etiam diabolo Dei substantiam inesse, propugnauit, et Seb. Francum docuit, qui ad alios postea magna animi contentione propagauit, uti tradunt Caluinus in Defensione, qui eum propterea fanaticum hominem appellat in Comm. ad Act. XV. c. II. Phil. Marnixius, et Th. Beza in Ep. Theol. VI et VII. In Anabaptistarum quoque castris meruit, ut adeo ei recte locum inter hoc hominum genus adsignent Octavius

tius l. c. p. xv. et Spanhemius l. c. p. DCCCLXXII. Eiusque
huc facientes errores praeter alios aperit Petavius Tom.
II. Dogm. Theolog. L. III. De iustificatione operum mere
iudaica, et manifesta deliria docuisse Seruetum, obseruant
Bullingerus Ep. ad Caluinum, et Phil. Melanchthon Epist.
CXL, L. IV. Ep. ad Camerarium p. DCCVIII. ed. Lond. Alia
Muhamedismum, Puccianismum, et si quae sunt in Orbe Chri-
stiano carcinomata plura, redolentia, et ab aliis in doctrina
Serueti deprehensa, silentio praeterimus, qui nolumus hic
esse copiosi, cum constitutum nobiscum habeamus, peculiari
Serueti sententias opera declarare, et in quibusnam Seruetiani,
et Sociniani conueniant, ubique a se inuicem discedant, mon-
strarre, ubi etiam Anabaptistas, et Fanaticos amice cum
Serueto conspirare, ostendemus. Ceterum non destitutus fuit
orbis Christianus, qui in profligandis Serueti deliriis egregie
desudarunt. Praeter Caluinum enim, Bezam, Bullinge-
rum, aliosque, Phil. Melanchthon peculiare in tractatum Ser-
ueto opposuit. Io. Vigandus, exquisitus ille Theologus, i-
dem praefudit in tractatu, quem de Seruetianismo luci ex-
posuit publicae. Conr. Schlüselburgius T. XI. Catal. Hae-
ret. rem legitime, egregieque exhausit, multis proinde elogii
a Spondano T. II. Annal. p. 151. commendatus. Ut omnes
istos praetereamus, qui uel Anabaptistarum, uel Socinia-
norum impietates prostrauerunt, quorum numerum hic
inire superuacaneum, ac inutile esset.

§. XV.

Sed excidit fine, quem intenderat Caluinus, neque
cum Serueto exitialis Eius doctrina fuit extincta. Cum
enim multos, ut fieri consuevit, nanciseretur sectatores,
Caluinus prohibere non potuit, quo minus haustos illi er-
rores

664
777
9133
VDA 18

HISTORIA MICHAELIS SERVETI HISPANI.

rores spargerent latius, ac propagarent, qui tamen auctoritate sua, cum unus omnia Geneuae posset, effecit, ut uel in exilium missi, uel interempti fuerint, in quos suspicio disciplinae Seruetianae cadebat. Ita Matth. Gribaldus, Ictus Patauinlus, Geneua primum, mox Tubainga, ubi Spar-tam Professoris Iuris Vergerii fauore ornauerat, profugus, Bernaeque captus, sed cum resipiscientiam simularet, dimissus est. Cum uero subinde ad ingenium rediret, decretum sibi supplicium, peste corruptus, occupauit. Val. Gentilis, Consentinus, cuius fautor, hospesque Gribaldus extitit, tum Geneuensum res innouauit, tum in Morauia cum Blandrata, eiusque sociis, turbas dedit. Vbi uero inter eos de Trinitate conuenire non posset, Bernam casu delatus, capite plexus, interiit. Io. Paullus Alciatus, Miles Mediolanensis, Georg. Blandrata, Medicus, Ada. Neuerus, Seb. Franckius, Bernh. Ochinus, uterque Socinus, Io. Syluanus, Alph. Lincurius, Pet. Statorius, Tonuillanus, Pet. Gonesius, aliquique ex schola Serueri prodeuentes, coelestem doctrinam deprauarunt. Quorum iam nonnisi nomina cum B. L. communicamus, alia commentatione, quam de *Seruetianismi merito et falso suspectis molimur, sitim Eius plenius restincturi.*

T A N T U M!

X 304 8032



8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
1	Centimetres
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
Inches	
1	
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

B. I
S MAGNIFICENTISSIMI
PRINCIPIS REGI

CI AVGVSTI
ORIAM

AELIS
VETI

ESIDE
ADOLPHO
XSEN
SAXONE
IS A. R. G. 8100XII

ENARRABIT
OLPHVS BVHLAV
ANHALTINVS

AE SAXONYM
LVDOLPHI FINCELL.

In
9153

